rapiunt nescientes. captos de-
uorat. exsaturarique non quiens
deuorat. Imperat deinde
potenti virtute verborum ut
eo cui innatabat gurgite
relinquentes aridas peterent
desertasque regiones. Eo in-
mirum circa aues illas usus
imperio quo demones fugare
consueuerat. Ita grege facto
omnes in unum ille uolucres
congregate relicto flumine
montes siluasque pecierunt
Non sine admiratione multorum
qui tantam in martino vir-
tutem uiderunt. ut etiam aui-
bus imperaret. Aliquamdiu
ergo in uico illo uel in
ecclesia ad quam ierat com-
moratus pace inter clericos
restituta cum iam regredi ad-
monasterium cogitaret viri-
bus corporis cepit repente
destitui. Conuocatisque disci-
pulis indicat se iam resolui.
Tum vero meror et luctus
omnium vox una plangentium
Cur nos pater deseris
Aut cui nos desolatos re-
linquis. Inuadent gregem tuum
lupi rapaces. Et quis eos
a morsibus nostris percusso
pastore prohibebit. Scimus
quidem desiderare te christum sed sal-
ua tibi sunt tua premia. nec
dilata minuentur. nostri po-
tius miserere quos deseris
Tunc ille motus his fletibus
ut totus semper in domino miseri-
cordie visceribus affluebat
lacrimasse perhibetur. Conuersus-
que ad dominum. hac tantum flen-
tibus uoce respondit. Domine
si adhuc populo tuo sum ne-
cessarius non recuso laborem
Fiat voluntas tua. Virque
inter spem amoremque positus
dubitauit pene quid mallet
quia nec hos deserere nec
a christo volebat diucius se-
parari. Nichil tamen in uoto
suo ponens aut voluntati re-
linquens totum se domini arbi-
trio potestatique committens.
Domine si his paucissimis
verbis dicere uidetur. Grauis
quidem est domine corporee
pugna milicie et iam satis
est quod hucusque certaui
Sed si adhuc in eodem labore
pro castris tuorum stare me
precipis non recuso nec fati-
scente causabor etatem. Mu-
nia tua deuotus implebo
sub signis tuis quoad ipse